

NUMINE MAXIMO FAVENTE!
DISCURSUS PHILOSOPHICUS,
De

SENIO HO-
MINIS,

Quem

Cum Consensu

AMPLISS: FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,
In Regia Acad. Aboënsi,

SubPRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI

DN. PETRI HAHN,

Phys, Prof. & Bibl. Reg. & Ord.

Publica submittit censura

S. R. M. Alumnus

NICOLAUS M. FROSEMANN,

In Acroaterio Maximo,

Ad diem 18 April, Anno Salutis, 1708.

Exc. Jo. Wal.

*Nobilissimis, Splendore virtutis strenuissimis,
Spectatissimis & honoratissimis VIRIS*

DN. JACOBO DEELOS/
Legionis Equestris subcenturioni, mul-
tis nominibus colendo.

DN. JACOBO HESLINGS/
Equestris Aboensis legionis Vexillife-
ro, quovis honoris titulo prosequendo.

DN. MARTINO BONEMAN/
gratiæ Vallensis Telonario, fautori
propensissimo.

DN. JACOBO PETRI HJNSBO/
Gratiæ Vallensis Senatori & Mercat-
ori, fautori & benefactori grata men-
te devenerando.

DN. DANIELI HENRICI ROTZEL/
Senatori & Mercatori, fautori cer-
tissimo.

DN. PETRO PETRI HJED/
Gratiæ Vallensis Mercatori, amico
certissimo.



Disputationem hanc

D. D. D.

N. Frostman.



§. I.

Productis omnibus DEUS
Ter Optimus Maximus,
hominem, secundum S.
S. Trinitatis consilium
בצלמנו כדמותנו **י**עשה אדם: id est, *Facia-*
mus hominem, ad imaginem nostram & similitu-
dinem nostram, creavit, tantaq; cognoscen-
di facultate ornatum in telluris veluti
medio constituit globo, ut non res so-
lum omnes intellectui objectas cogno-
scere, quales in seipsis fuerunt, verum
de iis perfecte etiam dijudicare posset,
sublatisque in admirabilem hujus mun-
di fabricam oculis, per infinitæ poten-
tiæ opera, tantæ molis auctorem, sin-
gulari admiraretur veneratione: unde
Poëta Ovidius I. Metamorph.

A

PRO

*Provaq, cum spectent animantia cetera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.*

Quemadmodum enim ad convivium. Conviva adduci prius non solet, quam bene & laute sint instructæ, epulæ; nec invitari ad spectaculum spectator, priusquam omnia sint appaata, quæ aures oculosque spectantium oblectare possint; Ita Univerſi moderator, in hunc mundum, tanquam ad convivium & spectaculum introducere hominem prius noluit, quam omnibus rebus eſſet instructiſſimus. terra etenim fuit vestita floribus, herbis, arboribus & frugibus, variisque generibus animalium, gemmarum pariter & metallorum varietate stipata; quorum omnium incredibilis multitudo erat insatiabili pulchritudine distincta. Sol magnitudine terram superans, circa ipsam volvebatur ab oriente ad occidentem progrediendo, motu diurno & primi mobilis diem noctemq; conficiebat. Luna terræ proxima nunc congregiens cum Sole, nunc ab eo digrediens

diens, luce quam à Sole acceperat eandem illuminans, varias temporum viciffitudines demonftravit. Stellæ quoque quæ dicuntur vagæ feu planetæ, & prope infinito numero inerrantes ftellæ, circa terram ferebantur, virtuteque fua & influentiis folum ita fovebant, ut temperato calore & humore, in hominis utrum fœcundaretur: ne vel ad voluptatem, vel neceffitatem aliquid defideraret. Hinc magnus ille philofophus Seneca recte inquit: *tot millia fiderum non lucent otiofa.* Et inferiora tamenfi funt à fuperioribus remotiffima; mirabili tamen conjugio facta funt, ut virtus illorum, in infimas mundi abyffos, propagetur. Protoplaftus tamen homo cum fociali fua, qui nunquam à cogitatione imaginationeque DEI abfifteret, neque à conviftu fanctorum defiliret; fed poffidens DEI gratiam, ei familiaris efferet fenioque nunquam interiturus, immortalẽ viveret vitam, fvaflu ferpentis, contra feverum DEI præceptum defructu vetitæ arboris lumens, inex-

tricabilibus omnium malorum labyrinthis cum tota humani generis posteritate sese involvit, adversus quæ mala remedium fuisset nihil, ni tot calamitatibus motus, hominumque irreparabilem ruinam miseratus æternus DEI filius, & ne is ipse, quem tanto amoris impulsu condiderat, periret, infinito amore humanam assumere voluisset naturam. proque peccatis omnibus sufficientissimum præstitisset λύτρον. Angeli enim in veritate non perseverantes, sed deserentes suum domicilium, in judicium magni diei, æternis sub caligine custoduntur vinculis: reliquis, qui liberam & spontaneam DEO declararunt obedientiam, in bono confirmatis, Joh. 8: 44. Epist. Judæ v. 6. confer: B. Dn: D: Graw: in quæst. Proinde cum mihi in animum induxi materiam sumere alicujus speciminis publici, illudque pro modulo ingenii in lucem edere, hanc elegi, quamvis omnino arduam, maximisque difficultatibus obsitam, jucundam tamen, scituque necessariam, SENIUM videlicet
 HOMI-

HOMINIS, inobedientiæ præstitæ præ-
mium, & licet fatendum sit ingenue, me
huic operi imparem esse atque huic
discrimini sustinendo immaturum, tuum
tamen L. B. erit, hæc tenui contexta fi-
lo in meliorem interpretari partem.

§ II.

Cum ex elementorum commixtione
corpora mundi constant, ita corpus
hominis prorsus ex nihilo non est cre-
atum; expresse enim in sacra pagina
Gen. 3. dicitur: *homo in terram, ex qua de-
sumptus est, reversurus*: ubi proprie ma-
teria corporis designatur; DEUS enim
præter elementa & corpora simplicia,
nihil de novo creavit corporeum, sed
omnia ex præexistente jam elementorū
materia produxit, ut ipse Sacer textus
fat superque demonstrat: Jussu creato-
ris, germinavit terra herbam virentem,
facientem semen juxta genus suum. ejus-
dem verbo omnipotenti producta sunt
jumenta, reptilia, bestię terræ, secundum
species suas. aquæ, ad mandatum pariter

produxerunt reptile animæ viventis, & volatile super terram, sub firmamento cæli. vide: cap. i. Gen. Aristoteli proinde dicantur elementa græce *συχῆα* a *σύνω*, quod ordine incedo notat; ordine enim inter se mixta ad generationem concurrunt; quippe quæ ita à natura sibi invicem connexa, ut unum sine altero consistere non possit, unumque sit semper adminiculum alterius, & omnia se invicem toveant, animent conserventque adeo strictis amicitiaæ nexibus, ut mundum potius perire necesse sit, quam ut unum alterius mutua ope destituatur. Ignis, homogeneis congregatis, suoque calore, quæ non sunt ejusdem generis disgregatis, aquæ & terræ frigiditatẽ temperat, & speciebus mixtorum præcipuam reddit vim calefaciendi. Aër vero omnes corporum particulas subiens, ut in se mutuo agere & invicem uniri possint, crassis terræ partibus, subtilioribus & rarioribus factis, aqueas inflat, & elementis contrariis ac pugnantis temperatis, ea quæ sicca sunt

sunt, humiditate ad proportionem redi-
git. Aqua porro terræ mollificans sicci-
tatem, nimium istum ignis æstum suo
temperat frigore. Sed terra lubricita-
tem & mollitiem aquæ & aëris, ut hu-
miditas utriusque sisti queat, sua aufert
siccitate & crassitie. Hinc petit imum
terra & aqua, & in sublime tendit aër &
ignis: unde existimant nonnulli Philoso-
phorum, locum qui naturaliter debetur
igni esse totum illud spatium quod circa
terram est inter concavum orbis lunæ,
& divexam aëris superficiem, quoniam
sic cum altero extremo, illi orbi con-
jungitur, a quo optime, per lumen con-
servatur cum altero vero aëri, cui per
caliditatem respondet; aëris vero situm
inter ignem & aquam quam aptissime
constitui posse; cum hac enim humidi-
tate, cum illa caliditate concordat. Aquæ
sedem inter aërem & terram esse, cum
altero enim humiditate, cum altero frigi-
ditate consentit. Terram porro circa cen-
trum infra aquæ velut crepidines habere
locum, cui frigiditate respondeat. Adeo

a vero non abhorret, quod de aëre profert Seneca lib. 1. quæst. nat: cap: 4. *Hic est, qui cælum & terram connectit, qui ima & summa sic separat ut tamen jungat. Separat, quia medius intervenit: jungit, quia utriusque per hoc inter se consensus est. Supra se dat quicquid accipit à terris, rursus vim siderum in terrena transfundit.*

§. III.

VERBA Hippocratis ita sonant: *Homine moriente singula ad id, unde ortum traxerint vergunt.* Sicut enim una cum principiis chymicis elementa prima sunt ex quibus homo componitur, ita ultima in quæ resolvitur. *nihil sensile, dicit Scharfius, est, è quo prius res corporeæ componuntur, aut in quod posterius & ultimo resolvuntur, præter quatuor elementa.* Hæc non possunt dividi in alia corpora vel in res alias diversæ speciei, vel etiam in partes speciei & essentia differentes; licet dividantur in materiam & formam, tanquam in principia seu partes essentielles, à quibus componuntur, quod tamen Aristoteles &

& cum eo alii plures statuunt dicentes, elementa essentialiter inter se transmutari, adeo ut forma substantialis unius transeat in formam alterius elementi: Alii igitur, licet hæc Aristotelica sententia validis videatur niti rationibus, in contrariam abeunt opinionem (quam nos etiam tueri volumus) negantes specierum mixtarum, in quibus contrariæ qualitates quam maxime pugnant, transmutationem; nam si ita cum illis invicem fierent, contingeret hoc vel â se totis, vel â se ut partibus; non prius, sic namque foret elementorum diminutio: neque posterius; sic enim hæc fieret, aut â forma, aut â materia; non ab hac, quia materia est simplex in omnibus iis corporibus: experimentum autem quod adducunt, est fallax, de resolutione aquæ in aërem: aqua enim illa non in aërem sed vapores resolvitur, qui ab aqua, non specie sed accidentaliter, secundum raritatem & densitatem differunt, & hæc potest dici aliqualis alteratio, minime autem substantialis transmutatio.

*Quare dicat mihi, ait Patritius, dise: Perip:
 Tom. 4. lib. 3. de numero istorum Philosopho-
 rum aliquis, an unquam viderit, obseravit,
 aërem in aquam converti? Scio ego, vidi, con-
 cedam ex aqua & terra in aërem vapores
 ascendere; aërem eos fieri nemo unquam vidit?
 dicant, proferant experimentum, aut aquam
 terram factam, aut hanc aquam. videmus
 sæpe ad fenestras balnei, ad columnas, ad
 parietes aquam adnatam. multi asserunt aërem
 ea loca contingentem aquam factum; ajo ego
 vapores eos fuisse. Quibus rationibus aut sen-
 sibus convincent non vapores sed aërem fuisse?
 habeo Aristotelis confessionem, vapores in aëre
 nubes facere, deinde pluviam. habeo ego olla-
 rum experimentum, in quarum operculis, va-
 por exhalans, non aër in aquam concrefcit.
 Ita Pererius negat corpus simplex acti-
 vum suæ principium corruptionis in se
 habere; quia omnis res expetit esse &
 quoad ejus fieri potest, se suaque con-
 servat, & corruptioni resistit: nec enim
 materia, nec forma est principium cor-
 rumpens; non materia, quia non est acti-
 va*

va; non forma, quia dat esse rei. mixtum autem qualecunque fuerit, siue animatum siue inanimatum, principium actiuum suæ corruptionis in se habet, quandoquidem omne mixtum in se continet quatuor elementa, & quatuor qualitates inter se contrarias & pugnantes; quocirca cum una earum exsuperat, plus, quam ratio mixti patitur, opprimit reliquas, atque hoc modo dissoluitur certa quædam proportio qualitatum; in qua tantummodo conservari potest natura misti. Videtis Scarf. in sua phil: de const. mixt. in gen: heic autem si subtilius loqui velimus rectius dicimus: corpora simplicia actiuum corruptionis suæ principiū in se ideo non habere. quia omnis res expetit esse & quoad fieri potest se conservat, & corrumpenti resistit. idem enim de mistis, per communem hanc rationem pronuntiatur, hæc quoque expetunt esse, & corrumpenti resistunt, nec materia illorum nec forma est principium corrumpens; non materia ut superius dictum est, quia

non est activa; nec forma quia dat esse rei.

§. IV.

UT omnia alia, quæ in centro sunt universi, ita quoque hominem coalescere è quatuor elementis, certa proportionem inter se mixtis, & eundem in eadem resolvi senio confectum vidimus. Senium autem ejus, DEI dispositioni tribuere non veremur scripturæ ducti locis Deut: Cap. 31: 14. Job 14: 5. heic in re tam clara, prolixos nos esse prohibet instituti ratio. Verba tantum Beati Augustini eo sensu lib: 5. de gen: Cap. 21. apponimus. *Nec omnino audiendi sunt, qui putaverunt sublimes quidem mundi partes, id est, à consinio corpulentioris aëris hujus & supra, divina providentia gubernari: hanc autem imam partem terrenam & humidam aërisque hujus vicinioris, qui terrarum & aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potius & fortuitis motibus agitari. Contra hos loquitur Psalmus, qui cum explicasset laudem cælestium, se etiam ad ista inferiora convertit, di-*

scens;

*cens: laudate Dominum de terra, Dracones
 Et omnes abyssi: ignis, grando, nix, glacies,
 spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus.
 Nihil enim tam videtur casibus volvi, quam
 omnes iste procellose ac turbulente qualitates,
 quibus cœli hujus inferioris, quod non im-
 merito etiam terre nomine deputatum est,
 facies variatur Et vertitur. Sed cum addidit
 quæ faciunt verbum ejus, satis ostendit earum
 quoque rerum ordinem divino subditum impe-
 rio, latere nos potius quam universitatis deesse
 nature. quod autem ore suo salvator dicit,
 unum passerem non cadere in terram sine DEI
 voluntate, Et quod fœnum agri post paullulum
 mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat;
 nonne confirmat non solum totam istam mun-
 di partem, rebus mortalibus Et corruptibilibus
 deputatam, verum etiam vilissimas ejus abje-
 ctissimasque particulas, divina providen-
 tia regi?*

§. V.

Θ *ελκῶς* deinde per calidum innatum
 sive spiritum insitum hominem di-
 cimus senescere; hic enim licet sit unus,

B;

ha-

habet tamen in se activum & passivum principium. illud calidum, hoc humidum, illud absumit, hoc absumitur, quo depaſto exſtingvitur vivum, ſicut candelæ abſumto oleo. Hinc rei cuique ſua conſtituta eſt periodus, qua abſoluta perit. Hæc animalium juxta & plantarum labes & clades fatalis. Scaliger igitur: *ſpiritus innatus habet calorem, habet & humorem: calor humorem carpit atque depaſcitur, deſtruit igitur.* Cum autem calor & humor natus bene & proportionate ſe habent, vitam prolongant; illa enim animalia ſunt longæviora, in quibus calidum & humidum eſt præſtantius & bene contemperatum: temperamentum ſanguineum, id eſt, benignum & blandum, quod proprie accedit ad temperamentum æquale, reddit animalia vivaciora & longæviora. poſt ſanguineum, cholericum, in quo prædominatur ignis, longioris vitæ eſt temperamentum. huic tertio loco ſuccedit phlegmaticum, in quo dominatur aqua. Melancholicum autem in quo prædominatur terra.

bre-

brevissimæ est vitæ causa; nimius enim superfluous humor obtundit calorem, eumque exstingvit, quemadmodum nimium oleum sese effundens lychni abolet flammam: nimis paucum humidum calor extemplo voracitate sua absumit ad sent. Arist: lib: 4. de gen: anim: Cap. 10. inservit autem temperamentum, ut antea dictum est formis mistorum ut in misto permaneant. Forma misti non potest conservari nisi qualitates ipsi convenient; quippe quæ statim vim patitur, quando istæ qualitates formæ convenientes nimium mutantur; in mistorum ergo corruptione prius qualitates ipsius mutantur, & per alterationem corruptivam ita debilitatæ infringuntur, ut iis abolitis, nequeat diutius subsistere forma in misto. Ab iis tamen ut sentit Vendelinus Cont: ph: Sect. 1. part. 1. cap: 3. corruptionis principium non est, siquidem ad istam temperiem qualitates primæ redactæ & à misti forma coërcitæ in ipsum mistum, ad ejus destructionem prius non sæviunt, quam
 har-

harmonia per alias causas sit turbata. In hanc Pererius consentit sententiam *Quamquam si subtiliter loqui, & ad tenuem rationem hæc eliminare voluerimus, comperiemus nullum mistum habere in se naturam, quæ est principium ejus corruptivum. natura enim est principaliter forma substantialis, quæ nulli corpori, cujus est propria forma & naturalis interitum afferre potest, cum potius ipsa faciat illud existere.*

§. VI.

Calor autem hic, quo homo vivit atque lenescit, cum semine procreatur & ingeneratur; hujus ope congregationes, segregationes, rarefactiones, condensationes & indurationes fiunt. quo sensu Arist: de gen: Cap. 1. *dura, inquit, mollia, lenta, rigida & quicumque alii effectus partibus insunt animatis, à caliditate & frigiditate effici possunt.* Et Franciscus Patricius lib. 6. *περὶ κοσμίαις: calor corporibus & constitutionem præbet, & essentiam conficit, & vires induit, & actiones cum in se agitat cum extra se egerit, & vitam propriam exercet.*

est. Sine enim calore corpus naturale non fieret, nec fluor flueret, nec in se densaretur, nec corpus ullum aut solidum, aut liquidum, sine calore, aut factum est unquam, aut fieri potest, aut potuit. In semine sunt subtiliores sanguinis particulæ; sunt quædam partes sanguinis, quæ ad lienem deferuntur, quædam ad vesiculam fellis, & quædam tam ex liene, quam ex vesicula fellis, nec non immediate ex arteriis, ad stomachum & intestina revertentes, aquæ tanquam fortes, juvandæ ciborum coctioni interserviunt. Quæque cum statim per arterias eo feruntur, sunt valde calidæ: qua de re earum vapores facile, per oesophagum in os ascendentes, salivam componunt: aliquæ etiam partes sanguinis, per carnes renum, transeunt in urinam, per universi corporis cutem, in sudorem aliaque excrementa abeunt. Quod autem aliæ partes sanguinis præ aliis transire possint, reliquo sanguine eas non comitante, faciunt situs, figura & pori. Liqueat enim magnitudinem & figuram pororum

rum sufficere, ut partes sanguinis certæ
 cujusdam magnitudinis & figuræ, in
 quasdam corporis partes potius, quam
 aliæ ingrediantur; nam quemadmodum
 habentur cribra diversimode perforata,
 quæ grana rotunda à longis, minuta à
 crassioribus possunt secernere; ita sine
 dubio sanguis à corde in arterias, pul-
 sus diversos poros offendit, per quos,
 partes ejus nonnullæ transire queant,
 non item aliæ. respectu autem cursus,
 quem sanguis in arteriis tenet, requiri-
 tur etiam situs loci, ad efficiendum, ut
 ex ejus partibus, quæ eandem figuram &
 magnitudinem habent, sed non eandem
 soliditatem, solidiores ad certas partes
 tendant potius, quam aliæ. Hinc vivi-
 diffimæ & subtilissimæ sanguinis partes
 intra cavitates cerebri recipiunt se; &
 post illas nullæ vividiores dantur iis, quæ
 tendunt ad vasa generationi dicata. Re-
 fertur concitatissimis spiritibus cerebro,
 illi qui affluunt, postmodum coguntur eo
 deflecti; quia rectissima est via, cui pos-
 sunt insistere, quod observarunt Anato-
 mici

mici: unde nonnulli statuunt dependenti-
 am & communionem inter cerebri
 spiritus & testiculorum intercedere, ex
 ipsa experientia, quæ confirmat erudi-
 tos, qui imaginationem & cerebrum
 suum exercent, rei veneræ, ut pluri-
 mum minus appetentes esse; quia vali-
 dissimis & concitatissimis sanguinis par-
 tibus ad cerebrum assurgentibus, pau-
 cissimæ remanent, pro partibus genera-
 tioni dicatis: & immoderatæ veneri ad-
 dictos, seriis literarum exercitiis, haud
 valde idoneos esse; cum eadem partes,
 relicto cerebro, descendunt. Hæ igitur
 sanguinis partes, suam ob subtilitatem,
 nomine spirituum veniunt; cum nec fi-
 guram ullam, nec certum incrementi
 modum habeant, ut aliæ partes corpo-
 rum solidæ & dimensæ habere solent.
 Et propterea Hippocrates divisit *μέμια*
 in *ἰχοντα ἰχόμενα καὶ ὀρμῶντα* *continentia con-*
tenta & impetum facientia; seu *στερεὰ, ὑγρὰ*
καὶ πνευματώδη solida humida & spirituosa.
 Partes continentēs ac solidæ sunt, quæ
 ob substantiæ soliditatem manent, aliasq̄

partes ruentes ac fluentes concludunt: tales sunt cutis, ossa, venæ & arteriæ, nervi & aliæ. Contentæ & humidæ sunt, quæ fluunt, vasisque propriis, tanquam receptaculis concluduntur: ut sanguis, lac semen. Impetum facientes & spirituosæ sunt, quæ huc atque illuc ruunt, cum impetu, maximeque vasis indigent: ut spiritus, qui solidas agitant partes. Hæ enim graves sunt, & non exiguam eorum requirunt operam. unde senes, ægroti & quocumque modo infirmi, scalarum detestantur gradus.

§. VII.

Calorem autem hunc, ex elemento provenire, spinosis satis argumentis (quæ brevitati licentes omittimus) asserunt per plurimi, existimantes: non opus calido innato, quoniam opera vitæ perfici possunt, per calorem elementarem. ut enim calor ignis extra animalia, etsi immoderatus comburens destruit: moderatus tamen apposita sibi esculenta, concoquit & perficit; ita idem in animalibus

malibus, ad certam temperiem redactus, & animæ dictis audiens, alimenta concoquere, & concocta in viventis substantiam commutat. Ceterum innatus calor non est accidens, sed substantia quo sensu Arist: de gen: Cap: I. πάντων μὲν γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει ὅπερ ποιῆσι γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα ὅ καλεῖται θερμὸν. τῷ δὲ ἐπὶ πῦρ ἐδὲ τῷ αὐτῆς δύναμις ἐστίν· ἀλλὰ ὅ, ἐμπεριλαμβανόμενον. ἐν τῷ σπέρματι καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος ἔστι τῷ τῶν ἀστέρων στοιχείῳ
is est enim in semine omnium, quod facit ut fecunda sint semina, videlicet quod calidum vocatur. idque non ignis, non talis facultas aliqua est: sed spiritus, qui in semine spirituosoque corpore continetur, & natura que in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum. Hinc tamen non licet inferre, calidum innatum esse naturæ cœlestis. dicit quidem Aristoteles φύσις ἀνάλογον τῷ τῶν ἀστέρων στοιχείῳ. at simile non est idem: nobis non est obscurum, qualis corporum cœlestium sit natura, & qua in re consistat. cœlestia corpora

tam subitanæ & multiplici mutationi
 & corruptioni non sunt obnoxia: ut ca-
 lidum nostrum. Nec igitur illorum
 approbatur sententia, quibus est mens:
 ut flammæ humidioribus lignis inhæ-
 rentes, humoris affluentia obrutæ initio
 exiguas se præstant atque imbecilles:
 spatio feruntur sensim atque augentur,
 mox potiores fomite sunt: eo demum
 subactò, quod ipsarum sit vigor, in im-
 mensum crescunt; ab hoc absumpto fo-
 mite langvent & intereunt: Ita calor
 naturalis, corpori vivo tanquam fomiti
 conjunctus, initio humidus est atque im-
 becillis: mox auctus, ad vigorem usque
 excandescit augeturque, & ignis imita-
 tus flammam molem in majorem fertur:
 demum alimenti egenus (quod senesce-
 re est) langvet: postremo (quod est
 interitus) penitus extinguitur. Galenus
 enim mihi p: 169. *Sermo hic, inquit,
 nequaquam verus, ab omnibus pene tum me-
 dicis junioribus, tum etiam philosophis pro-
 batur. quoad me iudice, male viventium ca-*
lorem

lorem, cum flamma ignis conferant; oblitū quod unde pendent, flammis ex corruptione fomitis est ortus: at non sic à formatore suo, calido innato animalia dependent. Et paulo post p: 170. quod innato calido corpora senescunt, & senio confecta corrumpuntur, verum est: at quo fieri exemplo monstrant, non verum est: non enim ac flammæ ligna, sic calor viventium structuram corrumpit, horum namque exemplum magis proprium forte bis sit, qui consumuntur febribus.

§. VIII.

Quandoquidem calor naturalis fugacissima & simul edacissima naturæ est, ut semper partem humidi radicalis absumat, donec hoc exsiccetur, & ille suffocetur, & simul cum eo vita. tam diu perennat vita, inquit B. Sperlingius, quam diu calor naturalis perdurat, seu iusta utriusque pugnantis qualisatis permistio: cibo itaque & potu conservatur & restauratur. Arist: de ort: & int. Cap. 8. ἀπὸ τῆς τρέφεται τοῖς αὐτοῖς ἐξ ὧν περ εἰσὶ ἐξ quo quodlibet constat per idem conservatur. calor enim

nim in ipso cibo & potu latet, qui à fermento & calore cum ventriculi, cum partium vicinarum excitatus coctionis promotor est. unde, quo minus infiti caloris habent cibi, eo difficilius eos coqui videmus. proinde senes aliique ventriculi debilitati consulturi, cibum, potumque copiosioris caloris eligere volunt & debent. Quare & Apostolus amico suo Theophilo auctor fuit, ut, ob ventriculi debilitatem, non amplius aquam sed vinum biberet. Hinc quodlibet membrum sua natura appetit restaurationem ejus, quod est absumptum, eoque undique aliquid rapere conatur. Venæ sugunt vicina membra: hæc exhausta nutrimentum desiderant à venis proximis tenuioribus; illæ majores & ipsam venam cavam: hæc venas hepatis: hæc venas meseraicas. Meseraicæ habent suum nutrimentum ab intestinis, & ea sugunt ventriculum. suctum tandem excipit sensus doloris, in ventriculi orificio, propter ejus corrugationem, per nervos ibi insertos & à suctione hæc affe-

affectos, qui spiritus animales cerebrum
 percutientes excitant ad irritandam
 phantasia. Phantasia ergo divulsio-
 nem illam ventriculi, ex alimenti penu-
 ria percipiens statim apprehendit ali-
 mentum, & quod conveniens, illud ap-
 petitui proponit, qui statim in id fertur
 ut vitæ consulatur, & partes materiæ,
 quæ effluunt & decidunt alimenti bene-
 ficio instaurentur & permanentibus par-
 tibus corporis, forma maneat in com-
 posito, quæ separatur calido absumto.
 Licet, ut Aristoteles lib. de hist. anim.
 Cap. 3. & experientia dant nobis, quæ-
 dam animalia, per aliquot septimanas,
 menses aut annos nihil edant, ut exter-
 num elementum semper assumant; tamẽ
 ex humoribus ante coacervatis nutriun-
 tur, quos debilis calor lente coquit. quip-
 pe quo magis abundat calor in corpore,
 eo plus nutrimenti requirit, teste Hippo-
 crate 1. aph. 15. Ventres hyeme ac vere
 natura calidissimi, ac somni longissimi,
 per ea igitur tempora plus cibi dare

D

opor.

oportet; Siquidem plus nativi caloris habent, quo fit, ut copioso alimento egeant. De bonitate tamen caloris & humoris naturalis homini senescenti aliquid decedit, cum crasis sive temperies & totus habitus corporis ad siccum & frigidum magis magisque decrefcit, atque fic in decedentis locum vel omnino nihil, vel admodum parum, idque impurius reftituitur. Unde Cartefius Tract: de form: fœtus: *quia vero procedente etate parva filamenta partes solidas componentes feſe magis magisque comprimunt, fibique magisque adherescunt, perveniunt tandem ad duritiei gradum, ut corpus plane deſinat crefcere; quin imo, ut nutrire nequeat, adeo ut inter partes ſolidas & fluidas tanta diſconvenientia inducatur, ut ſola ſeneſtus viſam edimat.*

§. IX.

Illorum igitur ſententiam improbamus *ἀπηνελυκῶς*, qui Senium Hominiſ aſtris tribuunt, & ab iis pendere ſua decernunt remes

temeritate; cum eodem plurimi tempore, eademque constellatione nati eodem tempore non senescunt atque intereunt. tamen si cœlum, vel maxime circa nativitatem alicujus ad ipsorum mentem influit; effectus tamen ejus, quid & quantum efficiat, certo non potest determinari & apprehendi. Unde Sixtus ab Heminga in gen: *at inspecto*, inquit *thematē cœlesti natalitio alicujus non possunt astrologi affirmari, aut artificiosa conjectura assequi, utrum vivat nec ne; quod si vivat utrum supervicturus sit ad mensem unum, ad diem unum, aut horam unam; multo minus de morbis, genere & qualitate mortis, laudabile judicium ferent.* In astris tamen non negamus inesse vim aliquam & efficaciam, quam universalis probat experientia: accessu enim & recessu solis fieri temporum vices; luna crescente & decrescente augeri & minus humores in corporibus, ut vites & omnes plantæ sunt humidiores, luna crescente, & aridiores, eadem decrescente: ita Cancris in plenilunio sunt pleniores, quam luna de-

crescente. Philippus Melan: Doctor præf:
 in opera Mathe: Joh. Schoneri: *observa-*
runt, ait, viri periti per multa secula, astra
in cælo, eorumque vires & virtutes cognove-
runt, tum singulorum in se, tum ad se invi-
cem respectum habentium: deprehenderunt quo-
que per longam experientiam has eorum ob-
servaciones, ex ipsis effectibus in mundo in-
feriori verificari. hinc certa præcepta, cer-
tosque canones, de astrorum proprietatibus ac
viribus composuerunt, quæ quoniam cum diu-
turna ista experientia conveniebant, observatio-
nibus & hac experientia velut quibusdam
principiis uti cœperunt. Ita Astrologi ex
 causis naturalibus & signis sensui obviis
 suas habent ratiocinationes & prædictio-
 nes, quæ sunt firmæ, & certas habent
 effectiones necessitate physica, non abso-
 luta: sæpe cum nihil est erroris in cau-
 sarum naturalium serie, & materia non
 adversatur causis, neque alia sunt for-
 tiora impedimenta, DEUS ipse cursum
 naturæ multis modis incitat; & totum
 mundi corpus liberrime gubernans, fa-
 cit plurima supra causas secundas, im-
 perat

perat causis secundis, & multa tristia, mala immensa sua misericordia, ad piorum preces lenit & avertit; multa moderatur, quæ astrologorum sagacitate explorari non possunt, totam naturam saluti hominum attemperat, ut sidera nec sint integræ causæ, nec prima causa, compedibus stoicis vinceta, cælo affigatur. Hi enim diei horas septem planetis ordine distribuerunt, septemque hebdomadæ dies, qui inde sua sortiti sunt nomina, mensesq; eodem ordine digesserunt, nec non corporum dominium iis diviserunt: Saturnum septimo anno vitæ ab initio posuerunt, cumque ab eo, tanquam planetarum summo ad infimum gubernatio redeat, ut sicuti locorum ita & rerum magna fiat mutatio, quod nec tamen ullus, cui de meliori luto finxit præcordia Titan, affirmabit, ut Saturnus vel planetarum alius, periculum vitæ, mutationem aliquam vel mortem alicui adferat. Ex hac divisione orti sunt anni climacterici, de quibus loqui imperata prohibet brevitatis, & idem fere iudicium est.

Tam-

Tametsi multi Veterum & recentiorum
 magnum catalogum illustrium viro-
 rum, qui istis annis vel magnum pericu-
 lum vitæ, & mutationem in statu, con-
 ditione & fortuna insignem subjerunt,
 vel mortem oppetierunt, recensent; de
 facto tamen ex observatione historia-
 rum eos id fecisse & iudicium suum
 non adeo aperuisse, manifestum est. qua
 ratione inquit Dn. Levinus Lemnius de
 occult: nat: mirac. lib. 2. cap. 52. *Per illos
 annorum circuitus morbi plerumque incru-
 scunt, à nemine hætenus explicatum est. Ego
 id evenire conjicio, quod certis annorum periodis,
 corpus humanum magnam humorum collectio-
 nem ac redundantiam congesserit: quorum
 motu atque agitatione morbi existantur.
 Cum enim natura ad immodicam reple-
 tionem devenerit, ac conceptacula humorum
 plenitudinem perferre nequeant in mor-
 bum erumpere necesse est.*

SOLI DEO GLORIA.

